ORATIO IRENICO-PANE-GYRICA,

211

habita

à

IOH: ALEXANDRO SCHEGKIO,

DIVERSORUM IMPERII STATUUM, ATQUE, HOS INTER, INCLYTÆ REIPUBL: ROTEN-BURG: CONSILIARIO.

ROTENBURGI AD TUBARIM
d. 17. Octobr. 1679.



Prælô submittebat FRIDERICUS GUSTAVUS LIPSIUS,
Annô Messianô MDCLXXX.



I. N. I!

EXORDIUM.



AT que ſic tandem, Deô equidem Nobis vel denuò propitiô, illuxit, AUDITORES, Magnificâ Nobilitate, Reverendâ Dignitate, Nobili Excellentiâ, Excellenti Prudentiâ, Prudenti deniquе Experientiâ, juxtà atque Litterarum Claritate undecunque Spectatiſſimi, pares, ut & ſuppares,

Tuque mihi ex animo arridens ſtudioſa Juventus!

Illuxit, inquam, alluxitque Nobis dies illa lætitiæ, dies tot gemitibus exoptata, tot ſuſpirijs efflagitata, tot denique lachrymarum ſingultibus, velut irretortis exorabulis exorata, dies, poſthabitâ illâ, atque expulsâ procul Germaniæ noſtræ facie funeſtâ eheu! atque cadaverosâ, priſtinæ (Huic enim tantum-non penitus decoxerat hactenus) Libertatis, Dignitatisque vindex, dies, ô utinam nunquam poſthâc, & ne in æternum quidem intermoritura! dies tubarum, turbarumque exterminatrix, dies non tripondiorum ſaltim, ſed & tripudiorum reſtauratrix, diem PACIS ſubaudio, quam ſi vel dixero duntaxat, omnia felicitatis plauſtra inſimul adduxero.

TRICENNIUM eſt etenim, & quod excurrit, Auditores omnium ordinum Honoratiſſimi, Lectiſſimique, (excurrit autem unius tantùm hoc inſuper Anni ſpatium,) ex quo, poſt tempeſtatem illam Belli Cæſareo-Suecici, vel, ſi mavultis, Lanienam Belli Hiſpanico-Gallici, certè univerſæ propemodum Germaniæ noſtræ vel maximè exitioſi, & tantum non exterminatorij, ſimiliter tricennalem, conflatum eſt Decretorium illud (quod ita indigitare Pu-

blicistis volupe fuit) PACIS INSTRUMENTUM, Lex equidem, si Dijs, cœlesti cumprimis, post dein' terrestribus etiam placuerit, omne æternitatis punctum si non prorsus transgressura, profectò tamen ad amussim exæquatura; At verò, quæ varians felicitatis humanæ est varietas, quodque fortunæ infortunijvè ludibrium, natum est hoc, quicquid est, Transigentium coagulum, velut adamantinum vinculum, & speciosissimum Imperij nostri Palladium, post istud Tricennium, natum est, ingemino, imò verò ingemisco, adolevit, accrevit, succrevit, decrevit, consenuit, & denique jam nunc, quod tremulæ Senectutis adminiculo esse assolet, tremulis utrinque manibus baculum regit, & vestigia firmat, videlicet:

Neu collapsa ruant subductis tecta columnis;

Usque adeò cœptorum eventus, juxta illud Ammiani, Superæ sibi vindicant Potestates; Usque adeò divinæ Nemesis, ex abdita quadam æternitate, omnia si non despectat, certè tamen mirificè transformat terrena; Usque adeò hæc, veluti Regina Causarum, Rerumque arbitra, & disceptatrix, urnam temperat Sortium, Accedentium vices alternat, voluntatumque nostrarum exorsa, interdum aliò, quàm quò contendebant, terminans exitu, multiplices permutando convolvit actus; Usq; adeò (Dummodò fidem damus consummatissimo illi, dum viveret, JCto, νῦν ἐν ἁγίοις Lansio, post tres IMPERATORES, quibus à Consilijs erat, Romano-Germanicos, Serenissimi etiam atque Celsissimi quondam EBERHARDI, Ducis Württembergiæ, &c. intimæ admissionis, nec non paterni, quô dignabatur eum jugiter Serenissima sua Celsitudo, affectûs, atque alloquij, Consiliario) Usque adeò, inquam, cum edecumato hocce Lansio, Fortuna meretriculæ jure meritoque habetur simillima, quippe quæ & prudentibus imponens, & imprudentes dementans neminem constanter amat, ex quo amatorem perpetuò mutat; Usque adeò post Senecam, eumque, ut cum Piccarto loquar, sacris penè proximum,

Quem dies vidit veniens superbum,
Hunc dies vidit fugiens jacentem;
Nemo confidat nimium secundis,
Nemo desperet meliora lapsis;

Miscet

Miſcet hæc illis, prohibetque Clotho
Stare fortunam; ROTAT OMNE FATUM.
Nemo tam Divos habuit faventes,
Craſtinum ut poſſit ſibi polliceri;
Res DEUS noſtras celeri citatas
Turbine verſat.

Alſatiæ, obſecro, Rheniq; Tractus, Ditiones nobis propemodùm conterminas, intuemini, Auditores, quippe quas, connumeratô in vim quaſi trifidi fertilitatis pariter, atq; amœnitatis, & , ut verbulô me abſolvam, omnigenæ felicitatis trifolij, Belgiô, Hortum Germaniæ laudavit proximè laudatus Lanſius meus; Intuemini autem haud gravatim fronte, ad inſtar Jani bifrontis, extrorſum partim, partim etiam retrorſum directâ (à fronte ſcilicet præcipitium, à tergo lupi) has ſaltem, quas jam nunc allegavi, Regiones; Remotiora enim loca, gemebundis fremebundi adhuc Martis ſi non devaſtationibus, certè tamen infeſtationibus undique, & undique perſona, & preſſa; proh dolor! ſi non oppreſſa, libens lubensque taceo; Intuemini, inquam, atque hoc quidem habitâ inter τὸ: TUNC, & inter τὸ: NUNC: prudenti, ſagacique collatione; Deprehendetis, ſcio, & mecum quidem ingemiſcentes deprehendetis (hoc enim mihi perſuadet veſtra in communem Patriam propenſio, & mea erga Vos, quam ita concepi, fiducia) faciem immane quantum à ſemetipſa diſcrepantem, ſuique prorſus abſimilem; Ingredimini mecum, ſodes! hunc, quem proximè, cum laudato, laudavi, Hortum Alſatico-Rhenanum; Numquid erat ille antehâc (vah! erat utique, utinam verò etiam, num eſſet!) Hortus omnium amœniſſimus, & prope Paradiſiaco æmulus? Numquid ſtabant inibi arbores foliorum germine renidentes? Numquid hæ ipſæ gratas hilari ſub odore diffundebant umbras? Numquid clementi brachiorum motu dulces obſibilabant ſuſurros? Numquid & has inter loquax, & nullô non criſtallô nitidior errantibus, ludebat aquis, & querulô quodammodò rore lapillos vexabat rivulus? Numquid exin' penè Muſicô pulſabatur concentu? Numquid utrinque flores, & copioſa Zephyri familia, hinc è viridi prato argentea ridebant lilia? Illhinc purpuraſcentes promicabant roſæ? Iſthinc narciſſorum nivem & ebur hiacinthorum

sanguis & aurum acuebat? Numquid denique ventulus felicitatis ab omni parte adspirabat (atq; utinam non expirâsset!) placidissimus? Ut mihi de suo largiatur liberalem hanc, quamvis nonnullibi, subjectâ materiâ, dicendique genere ita exigentibus, immutatam χηπογραφίαν famosus ille inter Doctos Jesuita Drexelius, quem equidem (Sartis tamen semper, tectisque Orthodoxiæ Evangelicæ Dogmatibus) mallem tandem cum Juris-publici Consultorum facilè Principe (quô splendidô insignire nomine non est dedignatus Consultissimum quondam Dn. Limneum, Consiliarium Brandenburgiacô-Onoldinum sanctiorem, & ipse Celeberrimus JCtus Dn. Strauchius) ob linguæ non tantùm volubilitatem, sed etiam dicendi suavitatem, addo & gravitatem, cum Mercurio, quàm cum reliquis stellis erraticis compararier; Non enim vel Veneri propter Libidinem, vel Marti propter Seditionem, vel Jovi propter Dominandi cupiditatem, vel denique Saturno propter Inquisitionis crepitacula (quod ego quidem scirem) æmulum se, dum viveret, prodidit, Vir, ad minimum de Litteratura nostra probè meritus.

At verò, quæ, DEUM Immortalem! præsens Provinciarum harum rugosa, & subtristis est facies? Quàm ingens & innumerus prorsus malorum numerus? Abacta sunt, malùm! armenta, protritæ segetes, trucidati agricolæ, urbes tot seculis florentissimè exstructæ, atque olim, quantum quidem per distantiam licuit, masculè defensæ, nunc unicâ quasi procellâ immersæ conspiciuntur & subversæ; Mœstæ fuêre domus metu, luctu, querimonijs, lamentis; Atque utinam fuissent tantùm mœstæ! Bone DEUS! Quàm deserta, quàmque inhospita facta sunt, atque etiamnum sunt impræsentiarum hæc Deserta?

Sancte DEUS, placidis quàm distant æra Lupinis?

Sed quorsum denique dilabor? Deglutiendæ nimirum fuerunt, ad Instar Pilularum, non masticandæ, talismodi injuriæ, & fortunæ, præter spem malè fidæ, vehiculum illud γλυκύπικρον; Sufficit, quòd, DEó adhucdum propitiô, exoptatissimi denuo illuceant, alluceantque Nobis Pacis recens-restauratæ radij, aurô contrà chariores, imò verò aurô, testibus equidem exhaustis partem potissimam

mam loculis vestris (Elisâ nimirum flatili illâ, atque asperâ litterulâ) etiam cariores; Sufficit amplexus vel iniquæ Pacis, consultior sanè, quàm belli etiam æquissimi (Si vel datur tale) persecutio; Sufficit (prout hos in eventus exulceratos sanè atque luctuosos suasor est

Romani Maximus Author

Tullius eloquij) gloriosius haberi, aut, si mavultis, conducibilius, vel aliquô Ditionis etiam dispendiô Pacem redimere, ac tranquillitatem, quàm pretiosos, imò verò & optimos referre triumphos, tantis hominum malis co-emtos. Faxit saltem Deus Ter-Optimus-Maximus, παμβασιλείας arbiter, ut renovatum Pacis Instrumentum Fatum Pacis Monasterio-Osnabrugiacæ patiatur neutiquam! Absit porrò, atque absit quidem quàm-longissimè Vaticinator ille Forstnerus, Cancellarius quondam Württembergico-Montispeligardensis, Vir cætera πολιτικώτατος, quippe qui, pro sagacissimo suo, nec non maturissimo judicio, de priori illo Pacis Instrumento, Pax (ajebat) nuper Monasterij & Osnabrugæ sancita, ut cuncta humana, durabit, quamdiu necessum erit; Nam delectâ ex pluribus & constitutâ Reipublicæ formâ, qualis illa Monasterij percusa, laudari faciliùs, quàm evenire, vel, si evenit, haud diuturna esse potest. Absit proporrò æternitatis recens-conglutinatæ lusor, & illusor (Qualem quidem si cognomine saltem Vobis indigitarem, nossetis, opinor, propemodùm omnes, qui, dum adhuc tantum-non imberbis ad Conventum, ex Legibus, prout vocant, præliminaribus, non nisi grandævis destinatum comparuisset, & dubiam ex nimia adhuc annorum, quam ora, vultusque prodidêre, paucitate, quæstionem, ut loquimur, Status esset passus; Atque, ehodum! replicando dixit, demonstratum ibo, me non grandævum duntaxat, sed & omnem æternitatis anticæ pariter, atque posticæ compaginem non implevisse tantùm, sed & longis supergressum esse parasangis; Vixi enim, & quidem jam ephebus vixi, ante conflatum illum Instrumenti Pacis Recessum, perpetim, imò verò æternùm valiturum; Vivo dein etiamnum, ruptâ quamvis prætensâ hâc prætextatâque æternitate, homo, (Nisi me omnia fallunt) à Congressu hoc

hoc tametſi grandævis tantùm deſtinatô nullô Ædepol! jure ulterius excludendus; Subridere ad hanc Replicam Reliqui, & in cachinnum diſſolvi, ille contrà defectum añorum gravitate compenſans intellectûs, aſſidere, adeóque non tam annorum multitudine, quàm maturitate judicij annoſus citra ulteriorem contradictionem admittier. Abſit deniqùe audaculus ille, quisquis etiam fuerit, Haruspex, qui ad perſonatum illum Franciſcum Irenicum, Pacem, dixit, Monaſterienſem multis quidem Bullis ſigillatam, ſubſcriptionibus inſuper multorum Legatorum roboratam, imò & junctis dextris confirmatam; Cæterùm tenſas dextras, & oſcula Pacis Monaſterij data, níl, niſi Politicas eſſe Ceremonias; Nur Complimenten/wenig Cordimenten.

PROPOSITIO.

DIj de Pace noſtra recentiſſima meliora! Quam verò utrum Rebus, prout ſteterant, ſat lubricè ſtantibus, inijſſe conſultum fuerit, nec ne, levidenſi hâc Irenico-Panegyricâ elaboraturus primâ equidem vice hanc Cathedram, veſtrò, Patres Patriæ, permiſſu, Literariam conſcendi; Bolum mihi propinans, ut opinor, tardioris digeſtionis, nec fortean mei, ceu ſubleſtioris quadantenus, ſed majoris potius ſtomachi; Veræ ſcilicet Sententiæ, quod nóſtis, periculoſa eſſe ſolet Libertas; Faciam nihilominus periculum,

- - Quid valeant humeri, quid ferre recuſent;

Et faciam hoc quidem eò libentius, liberiusvè, quò propenſius (Id quod certè unicum eſt, quod ex Vobis, Auditores omnium Ordinum denuò Honoratiſſimi, Spectatiſſimique, obnixè jamnunc efflagito, officioséque contendo) Vos conſpexero me audituros, &, quod fortaſſis deerit, judiciô Veſtrô, dubió procul ſolidiori, politiorique, ſuppleturos.

TRACTATIO.

QUòd ſi vel bono, & gravi Provinciarum Præſidi curare congruit, prout ita congruere Legum ille Prudentum, poſt Scævolam, & Julium Paulum, tertius Coriphæus (Ulpianum velim ſubauditum)

Audi-

Auditores meritissimô Titulorum alioquiò reiteratis jam mihi vicibus,eâ,quâ par erat,reverentiâ,honore,& amore compellati, ut pacata sit, atque quieta, quam regit, Provincia? Quòd si porrò, juxta eloquentissimum illum Sasimorum primùm,post dein' Nazianzenorum Episcopum, Gregorium Nazianzenum, Pacem audimus Dei esse, cujus Deum audimus esse Deum, quam denique audimus Deum esse ipsissimum; Quòd si prætereà (Loquor jam cum beato Augustino, eruditionis pariter, atque sanctitatis Smaragdo) non crudelitate,sed credulitate quærendus esse Deus perhibetur; Quòd si proporrò, monitore, qui suprà, Senecâ, pius etiam, atque magnanimus Princeps alieno, tanquam suo parcit sanguini, probè nimirùm gnarus, homini non esse homine prodigè utendum, abutendumque; Et quòd si denique in hac (quâ cæteroquin vivimus miserè,ut vivamus miseriùs) mortali vitâ Pace nihil potest existere gloriosius, utilius nihil, nihilque tandem jucundius, velut,paucis intercalatis antè lineolis, augustè laudatus tradit Augustinus; Jam non erit,puto, amplius sub-dubitandum, quò minus, concurrente hôc pactô, & quasi in unum conspirante Honestatis pariter,atque Utilitatis bigâ, &, quæ ex hoc bipatentis fontis affluxu resultare assolet, suavissimâ Jucunditate, Rebus cumprimis,prout,Fatô eatenus inexorabili ita suadente,imò tantum-non necessitante,steterant,sat lubricè stantibus, Pacem cum Rege Galliæ Potentissimo inijsse consultum fuerit vel maximè.

Ecquid enim Pace primùm sanctius,justius quid,& quid optabilius? Pace nimirum instauratâ,restauratâque,instaurantur, restauranturque omnia, ubi contrà,Pace profligatâ, profligantur identidem omnia; Imò,juxta illud Silij, 1. Ab Honesto.

- - - - - Pax optima rerum,
Quas homini novisse datum est,Pax una Triumphis
Innumeris potior. - - - -

Et, Mantuanô quidem teste,

Gloria Pace minor,minor est Victoria Pace,
Atque aliquid pejus Pace Triumphus habet.

Quid? Quòd reâpse sit magnanimi ille Spiritûs,& præcordij prorsus heroici,qui,cum Scipione,& Antonino, mavult unum servare Civem,quàm mille occidere Hostes;

215

Scilicet, juxta illud Ovidianum,

Candida Pax homines, trux decet Ira ferax.

Quoties-enim-cunque Sanguis Piorum effunditur injuste, toties-etiam-cunque Christus in membris crucifigitur suis, veluti prudenter pariter, atque Christiane ratiocinatum legitis Helmoldum, Presbyterum illum Buçoe-Lubecensem, ante cujus ætatem (Erat autem Friderico Barbarossæ σύγχρονος) nemo quisquam de Henetis illis Sarmaticis scripsit vel exquisitius, vel etiam luculentius. Atque hinc etiam est, quod ad pium Henrici illius Schmidij, Theologi quondam, & Professoris, illustris, quæ Tubingæ est, Universitatis celeberrimi, Oratione parili, occasione scilicet Pacis Monasterio-Osnabruccensis, habitâ, Augustissimum gloriosissimæ memoriæ IMPERATOREM FERDINANDUM III. applausu Panegyricô acclamitantis, imitamen, plusquam-humilimâ devotissimâque salutare possimus impræsentiarum levi hâc Panegyri LEOPOLDUM nostrum æquè Augustissimum; Salve, exclamantes, atque millies salve Cæsar Auguste, Pie, Felix, Inclyte! Felicior Juliô quondam Cæsare, qui gloriabundus fatebatur (Homicidium enim dum admittunt singuli, crimen est, virtus, cùm publicè geritur, ut mihi de suo interim largiatur Carthaginensis Episcopus) undecies centena & nonaginta duo hominum millia prælijs à se occisa, atque ita quidem occisa, ut non venerit in hanc rationis computationem Civilium Bellorum strages; Tua, IMPERATOR, quâ major esse non potest, gloria, & claritudo erit sanctior, totidem myriades, aut plures, non mactâsse, sed servâsse; Boni enim viri, quantumvis privati, malunt, & hoc quidem iterum cum Cicerone, commemorare se, cùm perdere possent, pepercisse; Macte animô istô Tuô, IMPERATOR! Habent affine quid Lux, & Majestas, Pax & Serenitas; ideò TU, ut Augustus, ut Sol Terrarum splendidissimus, radios Majestatis tuæ sanctissimæ commodâsti rei, ut bellorum dissipares nebulas, venenum omne consumeres, Orbemque serenares Christianum; Tuis denuò auspicijs novum Calendarium, Julianô profectò longè melius, atq; emendatius, Orbi exhibetur Christiano, Pacis nimirum ærâ insignitum; Tibi novos debemus Fastos, novas Ephemerides, non tam cladibus datis, neque etiam acceptis, quàm solô tranquillitatis acclinatoriô

toriô illuſtres; Tametſi enim Principes, atque adeò multò magis Imperatores opum largos eſſe condecet, vitæ tamen prodigos eos eſſe haudquaquam par eſt, aſſerente ſic Caroli quondam Quinti Concionatore, dum in Aula viveret, Aulicô, Antoniô illô de Guevara, Horologiô ſuô Principum clarô.

216

Nec moror jam moroſos, mordenteſque Malevolorum de aut intempeſtivè, uti quidem ſomniant, aut fortean præter neceſſitatem arreptâ Batavorum aſſiſtentiâ judiciorum morſus; Præterquam enim, quòd ipſis theſaurus duntaxat in lingua ſit, quæſtui ſcilicet habentibus, loqui de melioribus, & loqui quidem juſtô liberius, licitôque indulgentiùs, digni eapropter, qui, juxta Plauti, Leporum Patris, arbitratum, ſi Geſtores hujuscemodi inculpationum, linguis, ſin' Auditores, auribus ſuſpendantur illicò; Nôſſe omninò debuiſſent hi tales Naſutuli, Omnes bonos alienæ gloriæ defenſionem ad officium pertinere ſuum putare, & hoc quidem iterum Suaſore Eloquentiæ Parente, Cicerone noſtrô; Ex quo, qui non repellit Injuriam à Socio, Confœderatô vè, ſi poteſt, tam eſt in vitio, quàm, qui facit; Verba ſunt non mea, ſed melliflui, velut in Orbe Literario audit, Ambroſij, Mediolanenſis quondam Epiſcopi; Homo enim homini in mutuum generatus eſſe perhibetur adjutorium, atq; hoc quidem teſte iterum Senecâ, ſemel jam atque iterum Nobis allegatô.

Utilitatis porrò recenſendæ vultin' ingrediar Oceanum? Magne Deus! Quam profundam hêic deprehendo profunditatem, exhauſtu penè impoſſibilem! Nôſtis, Auditores, & nôſtis equidem magnam partem lamentabili (Quam perpeſſos Vos ego ſaltem per Quadriennium adhuc necdum tamen penitùs effluxum Vobiſcum vivens, ſæpiusculè cum ingemiſcentiâ his ipſis vidi oculis meis) edocti experientiâ, quàm Nemo omnium ſine Pacis & Tranquillitatis bono Bona noſcat ſua, poſſideatq́; Quod Friderici Marſelaëri, Viri profectò ſummæ, quâ, dum viveret, pollebat, experientiæ, mihique è millibus ſelectioris, effatum eſt æternitatis cedrô dignum. Nôſtis porrò, & Vos quidem Juridicinæ addicti ex noſtro Juſtiniano nôſtis, ſopire Pacis lenitatem, quod belli introduxit calamitas; Quòd ſi enim Salus Populi ſuprema Lex eſt, veluti talem ex debito eſſe ſæpe laudatus noſter edixit Cicero; Quòd II. Ab Utili.

Quòd si dein' nihil Deo acceptius, nihilque magis secundùm Naturam, quàm, ut Publica tranquillitas Utilitasque procuretur; Nihil profectò impedit, quò minus cum beato nostro Dno. Dre. Walthero, JCto etiam post funera Scriptis famigeratissimo, Variorum haud ita pridem Imperij Statuum, atque hos inter & Inclytæ hujus Reipublicæ Consiliario Primario, eóque (teste Archivo vestro) emeritissimo, ex Ejusdem Panegyrico-Irenica pridie Idûs Augusti Annô, suprà Millesimum, Sexcentesimô, & Quinquagesimô, hôc ipsô, nisi fallor, in locô habitâ, inferamus de præsenti, Pacem esse utriusq; & Tranquillitatis, & Utilitatis publicæ reductricem, dignam propterea, quòd vel justissimo anteponatur bello, ubi scilicet ipsa etiam quandoque Victoria Tullio nostro misera est, & misera quidem usque adeò, ut hujusmodi bello etiam iniquissimas Pacis Conditiones jam olim Scipio, Romanorum alioqui fulmen bellicum, suaserit anteferendas. Ubi è contrà minima fortè non minimô sæpè sectantes discrimine commoda, tradente sic Suetoniô, similes esse ajebat Augustus aureô piscantibus hamo; cujus fortè per infortunium abrupti damnum nullâ lucelli capturâ pensari possit, aut exæquari. Atque adeò, ut Rem, cum Poëta, in Summam redigam, triumque Hierarcharum è Pacis progermine reflorescentes compendiosô quodammodò depingam penicillô Felicitatis flores,

Pax cœleste bonum, sacris altaria fumis,
atque tepescentes suscitat igne focos:
Pax hominum genetrix, Pax est custodia Rerum,
Pax aperit Juris Justitiæque forum;
Pax aluit vites, & succos condidit uvæ,
funderat ut gnato testa paterna merum;
Pace bidens, vomerque vigent; At tristia duri
Militis in tenebris occupat arma situs.

Juncto, ob conformitatem, Mantuano, taliter canente:

Nulla quies homini; Nulla est sine Pace voluptas,
Nullus amor; Nullum Relligionis opus:
Pax Urbes, Pax Regna ligat, Pax congregat Orbem,
fecit è multis Urbibus una Domus.

Jucunditatis restat delineatio, nativâ equidem suavitate suâ se-met-ipsam insinuantis; Ubi jam iterum, vel sæpiusculè allegatô Cicerone Authore, & nomen Pacis dulce est, & res ipsa tum jucunda, tum salutaris; Quippè quâ non modò, quibus Natura sensum dedit, sed & tecta lætari videntur, atque agri; Pax nimirum est (Verba sunt Paciani) tranquillitas animi, serenitas mentis, & amoris vinculum. Ubi contrà belli non adventus solùm, sed etiam metus, teste, qui proximè, & multoties, Cicerone, affert calamitatem; Quid? Quòd, poëtante iterum Siliô: III. A Jucunde.

Undique sit notum, quid cæde calentibus armis,
Quantum iræ liceat? motusque quid audeat ensis?

Nimirum in bello proclivius est genus istud hominum, & hoc quidem juxta Gailij, Practicorum Aurigæ, Pentametron:

Nec Jovis imperium, nec Phlegetonta timens:

lædere, quàm benefacere; Constuprantur Virgines, trahuntur in captivitatem Senes, diripiuntur Bona, Civium opes ad execrandos Latrones atque Sicarios transferuntur, frigent artes Opificum, Pauperibus aut jejunandum, aut ejulandum, aut ad impias confugiendum artes; Divites aut ereptas deplorant Facultates, aut timent relictis, utròque modò miserrimi; Virginum aut nullæ, aut tristes, & funestæ Nuptiæ; Desolatæ Matronæ domi sterilescunt; Silent Leges, ridetur Humanitas, nullum habet locum Æquitas; Religio ludibrio est, Sacri & Prophani nullum omninò discrimen; Corrumpitur omni vitiorum genere Juventus; Damnant longævitatem suam luctuosi Senes; Nullus honos honestis Litterarum Studijs, atque adeò nullum bellum neque tam justis causis suscipi, neque tam moderatè geri potest, quô non ingens & scelerum & calamitatum pars maxima ferè ad innoxios soleat recidere, atq; indignos; Quin imò, quod equidem omnium gravissimum, hæc tam exitialis pestilentia nescit se suis continere spatijs, sed, ut unô-quôpiam orbis angùlô nata, non solùm finitimas Regiones, veluti contagiò pervadit, verùm etiam procul remotas vel mercede, vel per affinitatis Rerum pariter atque Causarum, aut Fœderis etiam occasionem, in communem pertrahit tumultum, rerumque tempestatem, prout equidem Author est Author illæ Tubæ Pacis disertissimus; Usque adeò bellô vastantur

tur Omnia, squalent Municipia, afflictantur Coloniæ, Agri quasi seniô confecti marcescunt;

Cùm, juxta illud Vergilij:

- - - - - Nullus Aratro
Dignus honos, mœrent abductis Arva Colonis.

Convertuntur aratra in arma, boves in equos, stimuli in lanceas, vomeres in sagittas, tunicæ in loricas, simplicitas (Quâ de falsè pariter atque scitè cæteroquin dixit, quicunque dixit:

Simplicitas astu benè fermentata triumphat:)

in malitiam, Justitia in violentiam, Sobrietas in violentiam, nullumque nefas exemplô caret; Atque hoc quidem iterum assentiente, qui suprà, Guevarâ. Et, ut in oppositione ad Pacem retrogradâ, summatim dicam, Bellum si dixeris, omnia Mala dixeris, dixeris imò, cum Doctorum illo Nobilissimo, & Nobilium Doctissimo Mornæo, omnium immanitatum epitomen, dixeris omnium calamitatum farraginem, eò profectò magis, imò cane pejus & angue vitandam, quò certô certius est, atque omni contradictione evidentius, quòd priusquam incipias bellum, jam exhauriendo Civium opes, luctu funestando domos, & plurima, dixerim penè omnia, latronibus, furibus, stupratoribus implendo (Has enim Reliquias exspumare bellum in propatulo est) plus nocueris Patriæ, quàm si profuturus sis, quod tamen adhucdum ancipitis est exitûs, Victor, Triumphatorque Inimicorum.

Resolutio Contrariorum.

Verum autem verò prætexunt & hîc Non-nulli, & quidem emunctioris, ut sibi persuadent, naris Politici, iijque alibi Parasytæ, corvis multò mihi sanè deteriores (Illi quippè mortuos devorant tantùm, hi etiam vivos) Date veniam loquenti cum Hyppolyto â Collibus, Dicasterij sub initium hujus Seculi Palatino-Electoralis, quod Heidelbergæ est, Præside, dum viveret, gravissimo; Prætexunt, inquam, Exercitûs Cæsareo-Confœderatorum grandedinem; Hoc primùm; Post dein' causant Conditionum Pacis disparitatem; Urgent denique Rationem illam Statûs, atque etiam Belli, ulteriorem fortè Armorum suadentes continuationem. Sed & hæc paulò pensiculatiùs Res nostras contemplaturo declinatu, refutatuque erunt tantum-non facilima, certè jam ante destructionis aggressum non nisi elumbia, & vix ac ne vix quidem

triobo-

triobolaria; Exercitûs enim magnitudinem jam ab antiquo non semper conduxisse vel unicus è Millibus (Quos equidem, dummodò tempus vacaret, in promptu haberem, in numeratoq; enarrandos) testis esto, omni contradictione, cavillationéque major, Pompejus, quippè cui nullam omnimò rem magis exitio fuisse, quàm hanc talem Exercituum granditatem, Author est florentissimus ille Historicorum Princeps Florus; Atq; hinc licèt in Campis Pharsalicis multò copiosiorem aluerit, quàm cœsor ipsius, Julius nempè Cæsar, Exercitum, nihilô-tamen-minus Eundem ab hoc ipso victum esse ex Suetonio nôstis; Et nôstis proporrò ex Cominæo, parum admodum præsidij esse in promiscua multitudine; Quid? Quòd ex Confœderatis ij cumprimis, quorum gratiâ Clementissimus LEOPOLDUS noster primum arma sumserat auxiliaria (Batavos illos Neminem, puto, adesse, qui non exaudiat, quippè qui gloriosum quondam, & in signum imperterritæ Fortitudinis ipsis attributum Symbolum, quod Vernacula nostra reddit: Er gehet durch/wie ein Holländer: jam-nunc, proprio metuentes tergo, in timiditatis despumare passi sunt tintinabulum): & quidem irrequisitâ Augustissimâ suâ Majestate, insalutatâque, mediante Pace eatenus Particulari, tot obtestationibus proprijs, tot, quorum intererat, protestationibus susque deque habitis, turpiter defecerunt, totumque belli oceanum non tam candidis, quàm callidis quasi suggrundijs in IMPERATOREM, & IMPERIUM derivârunt nostrum; Ex quo dein' Reliquorum etiam Confœderatorum Non-nulli inevitabile sibi, vel invitis, sequelæ facessitum causantur non tam negotium, quàm periculum, cui se à Batavis, omnem præter spem, atque opinionem, casu contrariò, undecunque conquerebantur expositos. Post dein' ne hilum quidem stringit Conditionum Pacis recens-transactæ disparitas; Nullô enim modô unquam fieri potest, ut Conditionum omnimoda in Pacis hujusmodi negotio intercedat æqualitas; Alia enim sunt Victoris desideria, alia iterum Victi; Alius restituendi habet facultatem; Alius vexâ tangitur redimendi; Frustrà igitur Pâcem efflagitas, usquequaque parem ab Eo, qui proximus est Victoriæ, aut armis saltem, vel milite superior, vel etiam (Addo hoc de meo, cæteras enim Periodi hujus contextas aliquot lineolas immediatè

antecedaneas Nobilissimo iterum Antecessori meo Dno. Dri. Walthero debentur) si non partim suorum, certè tamen novercantis hâc vice Fortunæ fidelitate beatior.

Rationem deniq́ue Statûs ab Italorum, velut auguror, Abaco, aut Abaculis, ad Gallorum superciliosam subtilitatem, subtilemq́ue volubilitatem, Politicâ quâdam Metamorphosi tralatam, ut & belli κατ' ἀντίφρασιν minimè belli, vel, si mavultis, belluinam naturam præ se ferentis, Rationem nequaquam moror; Imò verò perscrutaturus genium pariter atq́ue ingenium hujus, quicquid est, Monstri Statistici, impræsentiarum incido in Rithmos illos, nescio cujus tandem Compilatoris:

Justitia cum desijt
in terris habitare,
Successit Statûs Ratio,
Calamitatum mare;
Quid illa sit, Rex Jupiter
non novit; Sed noverunt,
Qui eam tot Miserijs
Patronam statuerunt.

Scilicet est, & manet, prout est, atq́ue fuit hactenus, Ratio Statûs (teste præcellentissimo Bœclero) Ænigma Seculi, Materia Subtilitatis; Cum Proteo Thetis; Cum Paride Helena; Cum Ulysse Penelope. Et quousq́ue tandem abutêre, mala mens, dijudicandi libertate, justò laxiore? Quem ad finem sese effrænata jactabit audacia tua? Bellum enim, Salustij testimoniô, ex arbitrio quidem sumitur, non item ponitur; Nec secùs (inquit Ludovicus Vives) quàm Pecunia nostro arbitrio Aleæ exposita illicò alieni fit Juris, incertum, cui cessura: Ita Princeps & tota ditio in sortem eventus constituitur, motô promotôq́ue bellô, id quod, Thucididis effatô, tum demum deponitur, cùm Victores volunt; Usq́ue adeò, juxta sententiosum illum, & nunquam satis allegandum Senecam,

Licèt omne tecum Græciæ robur trahas;
Licèt arma longè Miles, ac latè explicet;
Fortuna belli semper ancipiti in loco est.

Usq́ue adeò, dissuasore lacteô illô Eloquentiæ fonte, Liviô, ita ali-
ena

ena non appetas, ut de tuis poſthâc dimices; Quin potiùs mellitis verborum globulis monentem Quintum Curtium audi, & auditum ſequere, qui, cave ſis, dixit, ne, dum ad culmen venire contendis, unâ cum ipſis, quos comprehendiſti, decidas ramis, cautis ſanè, quàm acrioribus Conſilijs, veluti Tacitus habet, omninò tutior; Tutior etiam, meliorque, Liviô denuò atteſtante, certa Pax, quàm ſperata (ſi non deſperata penitùs) Victoria; Illa quippe in tua, hæc in Deorum manu eſſe piè creditur. Quod cùm IMPERATOR noſter omnium Clementiſſimus probè animadvertiſſet, atque hoc inſuper præcipuum decus, & ſtabilimentum Romano-Germanici Imperij, in cujus nimirum ſinu, ac tutela ſerenus tranquillusque beatæ Pacis ſtatus acquieſceret (Diſciplinam, cum Lipſio, ſubintelligo militarem) in caducum, quod ajunt, inclinare ſenſiſſet parietem, ſuâque Stratiotas annonâ etiam exceſſivâ, & contra laceras illas, manuq; ſaltem illuſoriâ (Hos enim ludos, Nobis, proh dolor! triſti cum appetitu Spectatoribus, non-nunquam eſſe luſos diffiteri vix poteritis) non etiam reâpſe ſervatas, quas exoticô idiomate ORDINANTIARUM indigitârunt, Leges, per preces ut plurimum armatas, (Degeneratô eâtenus in Imperativum Optativô) exactâ, ſuôque ſtipendiô neutiquam contentos eſſe conſpexiſſet, quicquid etiam ſub comminatione minimæ primùm, poſt dein medioxumæ, & denique maximæ Capitis (ut loquitur Legiſtarum cohors) Deminutionis (Manu etiam Imperatoriâ, prout ex Legato Cæſareo, nomine Scamni, ut vocant, Comitivi, Deputatus haud ita pridem ipſe audivi, gravitatẽ ſupplicij adumbrante) quâ eſt in Juſtitiam propenſione, & in oppreſſos commiſeratione, utrinque patrimoniali, & ad hæredes tranſitoriâ, prohibuerit Sacratiſſima Sua Cæſarea Majeſtas, non potuit non tandem, CONSILIO nimirum & INDUSTRIA, veluti SYMBOLICIS iſtis ſubnixa Columnis, qualem-qualem etiam Germaniæ, cumprimis efflagitanti, & tantum-non agonizanti, reddere Pacis, ah! utinam perpetim duraturæ! quietem, piè equidem, (dimiſſis eatenus, quod Nautis, tempeſtate ſicubi poſtulante, ſolemne eſt, antennis) & Chriſtianè confidens, fore, ut Summus ille Rerum humanarum Arbiter, omnia in exitum ſit directurus lætiorem; Satiùs quippè videbatur Optimo-Maximo Cæſari noſtro,

Pace ſtabilire Victoriam, quàm per Arma ambiguô coronidem vacillare eventu, ut mihi, Mantiſſæ locô, de ſuo concedat hoc, quem ſuprà laudavi jure merito, Marſelaër.

NB. Unicum eſt, quod aures mihi vellicavit hactenus, & adhuc me captivat ſubdubium, (Ad quid enim Mentis ſenſa ulterius diſſimulem?) Conſtantia nimirum hujus Pacis, & nunquam ceſſura perennitas; Quam equidem iteratis *LEOPOLDI* noſtri, ijsq; publicis Litteris ita edocentib9, vellicatim iviſſe jam averruncatum aſſeritur potentiſſimus, addo & velociſſimus Galliarum Rex; Novit, dubiô procul, ſplendidum hoc, atque Litteratiſſimum Auditorium, antiquas equidem, nec tamen, tradente ſic Zevecotio, omni jam ex parte antiquatas eſſe artes, Pace ſcilicet, aut certè Inducijs, Pacem redolentibus, interdum expugnari, quos bello non poſſes; Novit, Tacitô vel denuò teſte, Pompejum, imagine Pacis, Lepidum, imagine Amicitiæ, utrinque ab Auguſtô, deceptos; Nec habeo, quod hoc in paſſu addam, Calliditatum cæteroquin Aulicarum (Niſi, quando cum Vulpibus vulpinandum eſſe verſutia expoſtulat Adverſarij) ita me DEUS amet! hoſtis infenſiſſimus, quàm, velut omninò ſuadere videtur Mars ille ἀλλοπρόσαλλος, omnibus ſcriptum iſtud Monitum Politicum: Νᾶφε καὶ μέμνασ' ἀπιστεῖν; ταῦτα νεῦρα τῶν φρενῶν: Hoc eſt: Vigilà, & diffidere memento; Sunt hi nervi Prudentiæ: Non enim, ut mores, ita & animum mutat vulpes, ætate quidem, (Quod diverbij eſt) facta aſtutior, non item melior, mitiorvè.

NB. Sciſcitanti tandem: Ecquando in Gallia permanſurus ſit Gallus? Reſpondeo, velut Non-Nemo ex Gallicanis quondam, teſte Bulgoldenſi, parili quæſitus aviditate reſpondiſſe fertur; Quamprimum ſcilicet noſtris peccatis Gallica erunt majora.

CONCLUSIO.

QUod reſtat, quemadmodum

Per-quàm difficile eſt, imitari Gaudia vana,
Difficile eſt, dubiâ fingere mente jocum:

Ità econtrà, fatente quidem Symmachô, loquax ſanè res eſt, & juſtô quandoque prolixior, adeoque veniâ ſi non digna, certè tamen